DE COMPARITIONE

Titulus IIII.

Comparitio in foro dicitur personæ citatæ[a] coram judice præsentatio. A 45. dist. 1. & 2. Ea fit in civilibus,[b] vel per se, vel per Procuratorem, cum mandato sufficienti.[c] Jus Prag. sub lit. F 41. dist. 1. 2. 3. Jus provinc. sub lit. B 44. C. 38 ad fin.

In Criminalibus verò,[d] quando de vita, fama, & et si de hæreditate agitur, Reus personaliter comparere tenetur. A. 58. dist. 2. & in Jure provinc. C. 48. in fin.

Causa efficiens Comparitionem, est authoritas judicis, & metus pœnæ contumacis.

Subjectum est voluntas citati prona ad obtemperandum judici.

Objectum est judex, & locus ubi redditur justitia.

Forma est quando reus humiliter cum reverentia coram judice sistitur.

Finis est ut causa citationis in judicio definiatur.

[a] Quia citatus judici parere tenetur. l. 1. ff. si quis jus dicenti. l. 2. ff. de eo qui in jus vocatus non ierit.

[b] c. de judic. in 6. l. 1. §. ususfr. ff. de Procur. l. in pecuniariis. C. de procur.

[c] Nam gesta sine mandato à Procuratore nulla sunt. l. si procurator. C. de Procur.

[d] l. accusatore § ad crimen. ff. de public. jud.

DE CONTUMACIA.

Titulus. V.

Sæpè contingit ut legitimè citati ad contemptum magistratus sui, in judicium non veniant, & sint